

(49) Perillustri & Celeberrimo Viro  
Dno. Carolo De Linné Equiti  
S. pl. d.

Martinus Brünnichius.

Festinans arripio occasionem, libri, Ichthyologia Massiliensis inscripti, Tibi offerre, transit nempe nostram civitatem amicissimus mihi & ob eruditionem æstumandus maxime Dnus Ferber. Inde a reditu ex itinere in collectionibus fui occupatissimus. Insectorum ingentem cohortem jam his diebus ad ultimum usque in ordinem redege; sed iterum ex Africa & America ultra 1000 species, inter quas haud paucas ignotas, mihi allatæ adstant, ut testis oculatus Dnus Ferber copiam miratæ fuerit. Ideoque de novo laborem ante festum Ptini furis et dermestidum aggredior. *Cassida 7guttata*, olim a me ex Africa descripta, est *Blattæ* species in cujus elythro altero tres sunt maculæ rotundatæ albæ, in altero autem 4. ejusmodi maculæ. In collectione olim sub vitro *Cassidæ* figuram mentiebatur. Capsulam ferream cum aliquot rarioribus Insectis, quæ primum visui se offerebant, simul dedi Dno Ferber ut Tibi mitteret. a. *Hispæ* species novæ ex Americæ insulis St. Crux & S. Thomæ. b. *Notonecta* ibidem. c. *Scarabæus* ibidem, inde quoque *Mordellam paradoxam* habeo unicam. d. *Tenebrionis* species in *Scabiosis Hungariæ* haud infrequens.

Domus pro museo sat ampla mihi donatione Regia venit in Universitatis ædificio, ubi etiam pro usu oeconomico proprio cameræ sunt paratæ. Thecæ jam construuntur regiis impensis ita ut cum initio Septembris programmata & oratione novum munus incipiam, ad quod tempus spero fore ut Principes Vestri, (ut narrat fama) civitatem visitent, sic forte illorum præsentia rem magis reddat solennem. In hoc Museo vellem ut tot facerem discipulos quot Tu formasti egregios magistros.

Quod museum pulchre ornaret intense flagito Tuam nempe effigiem, quam dignissimo affigerem loco. Swabii quoque, utpote Mineralogi insignis, effigies inter primarias mihi,